

EXAMEN ORDINANDORUM

AB EODEM AUCTORE BREVITER CONCINNATUM EX EADEM SUA THEOLOGIA MORALI

RES SCITU MAGIS NECESSARIAS CONTINENS

PRAEFATIO EDITORUM

Sors quam
habuit *Exa-*
men. Ordī-
nandorum.

De hoc opusculo, quod *Examen ordinandorum* inscribitur, satis erit pauca praefari. Illud S. Alphonsus ad multorum rogatum composuit ac typographo Remondinio transmisit, in tertia editione Theologiae moralis inserendum, una cum manuscripto suae *Praxis*, latine jam conversae¹. Ac paulo post, S. Doctor de eodem *Examine* ad editorem scribens, haec adjungit: « Si velles libellum seorsim edere, puto te multa exemplaria esse distracturum² ».

Remondinius tamen (qua de causa nescimus) opusculum in tertia editione inserere omisit. Quod videns S. Doctor, statim aliud exemplum opellae, auctioris tamen multo ac melius ordinatae, suo remisit editori Neapolitano qui eo tempore excudebat primam editionem operis « *Istruzione e Pratica per un confessore* ». Sic quidem *Examen ordinandorum* prodiit primum Neapoli, ineunte anno 1758, uti *Appendix III* memoratae *Istruzione*³.

Interea, inconsulto S. Alphonso, ipse Remondinius seorsim edere coepit *Examen*, juxta manuscriptum duos ante annos acceptum. Quae res non parum displicuit S. Doctori qui, die 5 Junii 1758, ei rescripsit: « Accepi a te initium mei opusculi *Directorium pro ordinandis* ...⁴ sed *Directorium* quod ego inserui in recenti opere meo [*Istruzione e*] *Pratica*, auctius est meliusque digestum. Si id ante a te rescivissem, novissimum laborem tibi tradidissem edendum⁵ ».

¹ Lettere di S. Alfonso, Corrispondenza speciale, epist. 19, diei 1 Oct. 1756.

² « Se di questi [della *Praxis* e dell'*Examen*] volesse stamparne alcuni a parte, penso che ne smaltirebbe molti ». Corrisp. speciale, epist. 23, diei 29 Oct. 1756.

³ Et deinceps in omnibus editionibus sive *Istruz. e Pratica*, sive *Hom. Apost.* invenitur in fine operis, ut *Appendix III*.

⁴ Remondini una cum *Exam. ordin.* ediderat *Epilome sacrorum rituum*, a *Josepho Cabrino*, quod explicat titulum quem ipse suo libro dedit: *Directorium ordinandorum*. Hunc igitur libellum divulgavit anno 1758, item, sine ullis immutationibus, anno 1768, inscio iterum S. Doctore.

⁵ « Ricevo anche il principio del Direttorio degli ordinandi... Ma il Direttorio che ho posto nella nuova [*Istruz. e*] *Pratica* è più abbondante e più aggiustato. Se me l'avesse scritto prima, l'avrei pregato che avesse stampato quest'ultimo ». Corrisp. speciale, epist. 39.

Cum, anno insequenti, ipse Remondinius prelo mandasset opus *Istruzione e Pratica* simulque idem opus latine conversum sub titulo *Homo Apostolicus*, edidit quoque in Appendice III *Examen ordinandorum*, quale fuerat a S. Auctore adornatum. Idemque, anno 1760, inseruit quartae editioni Theologiae moralis, uti erat in votis S. Alphonsi, ac deinceps, in reliquis editionibus, *Examen* semper fuit insertum post *Praxim Confessarii*.

Quid praeferat haec nova editio.

Textum *Examinis* decerpsimus ex nona Theologiae Moralis editione, utpote a S. Sede approbatum, eodem tamen diligenter collato cum prioribus editionibus, ac servatis iisdem legibus quas defletus Pater Gaudé sibi constituerat.

Aliud praeterea notatum volumus. Cum S. Doctor primitus *Examen* operi *Istruz. e Pratica* adnexuerit, saepe lectorem remittit ad capita eiusdem operis. Huc non attendit Remondinius, ubi idem opusculum Theologiae Morali inseruit. Quapropter, etiam in nona editione, lector *Examinis* saepe ad loca remittitur, quae in Theologia Morali non reperiuntur; v. gr., n. 4, legitur: « Qui vult videre hanc quaestionem cum omnibus suis rationibus enucleatam, observet *caput XVI, tom. 2, ad n. 18* ». Nos vero, mentem interpretantes S. Alphonsi, opportunum duximus has allegationes ita mutare, ut lector remittatur ad ea loca Theologiae Moralis, quae locis operis *Istruzione e Pratica* adamussim correspondeant.

EDITORES.